

Christianus dei gratia imperialis aule cancellarius, Maguntine sedis electus et sacre maiestatis in Italia legatus.

Benignitas imperialis ex innata sibi pietate consuevit semper ecclesias dei congruis honoribus ac beneficiis sublimare et facultatibus suis copiose honorare. Proinde nos vicem eius in Italia gerentes et ipsius liberalitatis bonam voluntatem cognoscentes, concedimus venerabili abbati Burgi sancti Sepulchri Fransiano pro ipsius magnifico servitio, quod imperio et nobis in Romania et in Campania multis expensis exhibuit, et eius ecclesie ad usus fratrum inibi deo famulantium novem massarias in villa Casaprato, videlicet domum filii Adelasie, domum Lambertutii et Iohannis, domum Ranutii Marci, domum Betti, domum Siguli, domum Giraldis Guidunzii, domum Dominici de Jandazo, domum Iohannis et Tusi, domum Ubertelli de Albeo cum omnibus pertinentiis illis, que Wido marchio defunctus ab imperatore in eadem villa Casaprato in beneficium habuit, sub districto sacramenti^a et sub pena . . .^b marcharum puri argenti firmissime precipientes, ut nullus dux vel marchio, comes vel capitaneus sive aliqua persona, magna vel parva, in hac nostra concessione predictum abbatem vel eius ecclesiam deinceps audeat inquietare vel molestare. Si quis vero ausu temerario hanc nostram concessionem in aliquo infringere attemptaverit, perpetuam indignationem domni imperatoris incurrat et penam memoratam componat, dimidium camere imperiali et dimidium prefato abbati vel eius successoribus.

Data apud abbatiam sancti Salvatoris de Montaguto anno dominice incarnationis millesimo centesimo sexagesimo sexto, indictione quarta decima, imperante domno nostro serenissimo imperatore Federico semper augustus, anno regni eius tertio decimo¹, imperii vero 11². In presentia cardinalis Berardi, abbatis Radicofani, prepositi de Difendale, Biselmari capellani et in presentia multorum imperii fidelium.

-
- a) Ob wirklich so zu lesen ist? b) Die Zahl unleserlich.

1) Abermals ist das Königsjahr um einen Einer zu niedrig berechnet. Das aber entspricht, wie schon gesagt, dem Gebrauche der kaiserlichen Kanzlei. Auch sie hat bis zum 9. März das 13. gerechnet; indem sie es noch zum April und Mai setzt, verstösst sie gegen ihre eigene Regel. Ist diese in unserem Diplom streng befolgt, so gehört es vor den 9. März. 2) Das 11. Kaiserjahr lief mit dem 18. Juni ab.